

Talis fuit humilitas christi: talis etiam est humilitas angelorum et sanctorum in gloria.

**I**ncipit quarta pars de descensionibus spiritualibus que sunt in duplici differentia: videlicet ad seipsum et ad proximum

**Capitulū. lxiij.**

**A**udisti nunc o homo descensus quibus descendisti. Id est audisti qualiter ascensionem in corde debeas disponere et quibus exercitiis et gradibus ascendere. quomodo pro deuota oratione debeas diuinum auxilium implorare. quale quibus sis premissum recepturus. Et hec sunt illa quinque que tibi in principio proponebantur. Sed quia diuina scriptura de his ascensionibus alibi loquitur dicens: Vidit Iacob scalam erectam et angelos dei ascendentes et descendentes in ea: miraris forsitan: quomodo in his ascensionibus angeli viri utique sancti descendunt. Nam quod ascendunt non est mirandum. Quis autem hoc non absurde possit intelligi quod etiam ipsi sancti viri quod diu peregrinant / quod diu pregrauiant in corpore quod corrumpitur / non ita possunt continue et indefinenter ascendere / quoniam aliquando corruptibilitatis potestate grauati deficient in ascensum / et descendant ad tempus relaxando exercitium spirituale. Alie tamen sunt descensiones utiles et ad propositum magis conuenientes / quibus etiam veri ascensores et viri spirituales interdum pro tempore ascensionem suam interrumpunt et assumunt sibi utiles defensionem. Et autem breuiter has descensionem comprehendas due sunt homini descensionem. Una que homo descendit ad seipsum. Secunda que descendit ad proximum: et hec utraque descensio est tribus gradibus subdistincta.